



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

55. An Equites commendatarii D. Ioannis, D. Jacobi, Alca[n]taræ,
Calatravæ, &c. insumentes redditus bonorum suorum in vsus illicitos
peccent contra paupertatem, & recipientes teneantur ad ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

vulgò dicitur, lo scasciato: & hoc non solum Professis, sed etiam Nouitiis, vt postea etiam, me consulente, determinauit in casu Dominorum de Gioeni, & Manfrantoni, qui adhuc non emiserant professionem, sed tantum accepterant habitum, & erant Nouitij D. Iacobi. Quòd autem ex verbis huius Bullæ colligatur, hos Milites esse verè Religiosos, tenet Ioan Valerius in differentiis vtriusque fori, verb. muner. numer. 23. Faustus, & Berti, vbi supra. Vnde valdè miror, aliquos his diebus contrarium docuisse.

RESOL. LV.

An Equites Commendatarij D. Iohannis, D. Iacobi, Alcantara, Calatrana, &c. insumentes reddituum bonorum suorum in vsus illicitos peccent contra paupertatem, & recipientes teneantur ad restitutionem?

Idem dicendum est de ceteris bonis acquisitis, donatis, &c. licet in morte non possint de illis absque Superioris licentia testari? Ex part. 2. tr. 15. Misc. 1. Ref. 54.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Azorius tom. 1. lib. 13. cap. 4. questio. 10. & ante illum hoc etiam docuerat Molina Iuriconsultus, Nauarrus, Motta, Ayala, & alij apud Sanchez, vbi infra, vide etiam Riccium part. 3. decis. 321. numer. 4. & Suarez de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 16. n. 24.

2. Sed contrariam sententiam amplexus est Pater Franciscus Alcozer in suo tract. de ludo, cap. 36. & quia codex rarus est, ponam per extensum eius verba. [Los Commendadores de San Iuan, de Santiago, de Calatrana, y de Alcantara disponen libremente de sus bienes en vida, y los gozan, y dan, y enagenan, y traspasan en las personas, que quieren, como qualesquier otros seculares libres, disponen de los bienes, que tienen. Esto se entiende de los frutos, y rentas de las encomiendas, que de la orden tienen, mas las heredades, villas, y lugares de las dichas encomiendas no las pueden dar, ny enagenar. Así mismo se entiende, que gozan, y enagenan, como quieren los bienes muebles, y frutos de los bienes, que han adquirido por titulo de herencia, o donacion, o otro titulo justo de sus Padres, y deudos, y amigos, y señores, o officios, o de otra manera. Esto presupuesto digo, que los, que juegan, y ganan a los tales lo adquieren justamente, y no son obligados a restitution, porque los tales bienes ellos los gozan, y poseen, y disponen dellos, como los seculares libres disponen de los bienes que tienen.] Ita Alcozer. Sed pro maiori elucidatione, & intelligentia; suppono, quòd supradicti Equites, licet voueant paupertatem, vouent tamen illam, prout vsus permissus & toleratus apud eos recipit. Non itaque Religiosorum Claustralium rigidam paupertatem vouent, sed bona sua retinent, amouibilia tamen ad nutum Magni Magistrj, & de illis disponunt, licet in morte non possint, absque Superioris licentia testari, & ideo votum eorum de proprio non retinendo, intelligendum est quoad dominium, non autem quoad vsum, distributionem, & vsum fructum. Ita de Equitibus D. Iohannis loquitur Sanchez in sum. tom. 2. lib. 7. cap. 8. numer. 39. Genuentis in practicab. Eccles. tricenar. 1. quest. 20. numer. 3. Barthol. à S. Fausto in thes. Relig. lib. 8. quest. 80. numer. 2. Homobon. de bonis in exam. Eccles. par. 1. tract. 7. cap. 12. questio. 58. Graffius tom. 1. lib. 3. conf. 11. numer. 23. Vide etiam Valquez opusc. de redditibus cap. 3. dub. 9. numer. 40. & alios: & licet eorum regula, & forma Professionis aliquid plus præferat,

& ab illis requirere videatur, attamen longæus vsus, & antiquissima consuetudo ita interpretata est dictam eorum Regulam, & Professionem, & hoc cum scientia, & sine contradictione Superiorum. Adde quòd multi eorum, imò ferè omnes, minime professionem emitterent, si sub onere peccati mortalis tenerentur ad aliam strictiorem paupertatem, & vitæ rationem, quam quòd hodie inter illos seruari consuetum est. Cum igitur supradicti Milites bona sua retineant, & de illis libere disponant, infumendo illa in vsus illicitos, peccabunt quidem, non autem contra paupertatem, nec recipientes obligationem restitutionis habebunt: nam probabilis illa est opinio, quæ afferit Religiosos, etiam mendicantes, si licentiam habent de aliquibus bonis disponendi; si illa in vsus illicitos infumant, peccare quidem, sed non contra votum paupertatis, nec ab illis recipientes aliquo restitutionis nexu vinciri.

3. Et ita loquens in casu nostro de Militibus Religiosis docet ex Societate Iesu Pater Salas tract. de ludo, dub. 21. numer. 6. qui citat Angles, Lopez, Medina, & alios; & etiam probabilem vocauit hanc sententiam Ioan de la Cruz de statu Relig. lib. 1. cap. 3. dub. 1. concl. 2. & Petrus Led. sma in addit. ad 2. part. sue summa, tract. de statibus, cap. 4. diff. 4. vbi asserit, illam docuisse doctissimum, & Religiosissimum Magistrum Gallo, & multos alios Magistros, ex schola D. Thomæ, & ex Societate Iesu tenet etiam hanc sententiam Rebellius part. 2. lib. 12. quest. 4. sect. 7. numer. 6. licet contrariam opinionem probabilior esse puto, quam præter doctores, quos citat Salas vbi supra, numer. 1. tenet Sanchez in sum. tom. 2. lib. 8. cap. 19. numer. 81. & nouissime Fagundez de præcept. Eccles. tract. 1. lib. 7. cap. 6. numer. 15. Cenedo de paupert. Religiosa, dub. 17. numer. 7. & segg. cum Llamas in sum. part. 3. meth. capit. 9. §. 23. & alij.

4. Ex his apparet, meretrices dictorum Equitum, & ludentes cum ipsis, & ipsos quoque Equites, si restitutionem facere noluerint, posse à Confessariis, secundum si prædictam opinionem probabilis sacramentalem abolutionem, sine vilo onere restitutionis; obtinere. Post hæc scripta inueni supradictam opinionem in terminis docere Mich. elem Zanardum in direct. Confess. part. 2. præc. 4. cap. 31. quest. 8. vbi sic asserit: Si Eques (loquitur etiam de Militibus D. Iohannis) redditus commendarum suarum in pessimis vsus expendat, quamuis peccet mortaliter, cum hæc bona sint ei data, vt viuat iuxta statum suum, & non vt ea dilapidet in pessima contra proprium statum; tamen non obligatur ad restitutionem, quia hæc bona sunt ei data, vt de eis faciat, quicquid ei placuerit, vel expedierit, non intendendo eum obligare ex contractu, & vi iustitiæ commutatiuæ, vt si ea in malos vsus consumperit, teneatur ad restitutionem. Hæc Zanardus. Vnde remanet satis probabilis nostra sententia.

5. Scripsi hæc in re tam graui, quasi coactus, & Deus scit, si cum magna & intima cordis tristitia, vt fragilibus conscientis aliquid remedium exhiberem. Nam si contraria sententia in praxi omnino amplectenda esset, vt olim cum Azorio mordicus consulēbam, mille laqueis restitutionis pene innumeri tenerentur, & nemo restitueret. Et hanc opinionem, tanquam probabilem, tenent etiam multi viri docti, de hac re à me consulti, tam ex nostra Religione, quam ex Societate Iesu, & inter illos præcipuè P. Franciscus Bardi, vir Scholasticæ, & Moralæ Theologiæ peritissimus.

Sup hoc facta in Ref. 23. §. Nota tertio & infra late in Ref. 58. 59. 60. & 61. §. vit ante me dium, & in tom. 8. tr. 7. Ref. 58. §. Sed ego & Superior in tr. 1. ad me dium §. vit. Ref. 195. &c.

Sup. hoc in Ref. 57. & 58. §. 2. in principio.